

## **Syntagma Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio VI. Deciduntur aliæ difficultates circa eandem materiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](#)

minus, quam aliarum rerum metuere, & magis contemnere opus est; siquidem in id prolabi magis distamus, in quod incidere magis timemus: nam si in carnalia incidere formidantes, licet tententur, non ideo prolapso esse judicamus, nisi assensum praestiterint, cum tamen haec sint sensui magis amica, & ad suam spuriitatem concupiscendam magis inducent; à fortiori fas erit judicare, tentatos infidelitate, & blasphemis non ob id in eas prolabi, cum illas potius abhorrere, quam velle presumi rationabiliter potest.

70. His igitur scrupulosis quid respondendum sit, docuit Christus Dominus Matth. 8. *Quid timidi estis modica fidei?* Non quidem divinæ, & supernaturalis; siquidem hujus dubitatio corrumpt totam fidem, & sic dubitans non dicitur modica, sed nullus fidei, & planè infidelis, ut docet P. Soar. d. 1. de Fide sct. 1. n. 5. sed loquitur Christus Dominus de trepidatione in fiducia, quasi dicat: *Quid timidi estis modica fidei?* id est, modica fiducia, sive confidencia. Et hoc etiam sensu, cum Petrus dixisset: *Domine salvum me fac:* Matth. 14. illum reprehendit Christus Dominus ibidem: *Modica fidei, quare dubitasti?* id est, modica fiducia.

71. Hos igitur scrupulosum vexatos exprobare expedit tanquam parum fidentes, potentiam divinam praestò esse omnibus nolentibus fidem deserere; eosque monere, tantum abesse, ut de divinis rebus dubitationem vel minimam cōcepterint, quod potius radicandæ magis in ipsis Fidei vehemens prælumpcio sit habenda, dum scrupulorum venis, & anxietatis mentis navicula circumfertur, juxta illud D. Hieron. in Matt. 14. dum de D. Petro salvum fieri postulanti sic ait: *Ardebat, inquit, animi Fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat.* Paululum ergo relinquitur tentatio, ut angeatur fides, & intelligat se, non facilitate postulationis, sed potentia Domini conservatum.

72. Præterea monendi sunt hujusmodi scrupulosi, communis hostis morem esse illos persequi, quos timidos, (ubi timendum non est,) consipicunt; contemptores autem sua versutia, tanquam insuperabiles fugere; sicutque illum, suasque suggestiones contemnendas esse, ut victoriam consequantur, quod expertam fuisse testatur S. Theresia per hæc verba cap. 31. vitæ sua: *Separan*, dize, que cada vez que se nos da poco de los Demonios, quedan con menos fuerza, y el alma muy mas Señora. Idemque de illa testatur ejus Confessarius, ut refert Lopez in vita ejusdem Sanctæ fol. 170. *A la dado dios un tan fuerte, y valerozo animo, que espanta: sola ser temeroza, ahora atropella a todos los Demonios. Es muy fuera de melindres, y niñerías de mugeres, muy sin scrupulos es rectissima.*

73. Addant deinde Confessarii, ut eos convincant, impossibile esse absque deliberata voluntate fidem amittere: neque stare posse fidem amittere, & de ejus amissione dolere. Imò gratis dato, quod de Fide dubitasset, remedium nè erit ad illam recuperandam turbari, & inquietum cor semper habere? Sibi igitur vitium peccatum Confessario narrant, illiusque iudicio omnia relinquant, & quod ipse decreverit sequantur, fidentes maximè Misericordiam Dei peccatoribus præsto esse, & adesse.

74. Advertes hic primò, hujusmodi scrupulizantes in rebus Fidei aliquando molestari, quod non elicuerint actum fidei toties, quoties illis offert cogitatio credendorum; cum enim existimant ad id teneri, opinantur nunquam latius hoc præceptum adimplere, quod eis angustia, labor, & turbatio est. Monendi igitur sunt ita scrupulizantes, præceptum

fidei non obligare per se, nisi tempore usus rationis adveniens, vel postea, si tunc non est implementum, ita ut actus fidei semel elicito rarò, aut fortasse nunquam occurrat obligatio elicendi illum. Ita P. Soar. d. 13. de Fide, sct. 5. n. 6. Aragon. 2. 2. q. 4. art. 6. P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 1. n. 3. P. Torrez, de Fide d. 35. dub. 2. P. Valent. 2. 2. q. 2. punct. 5. p. 11. P. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 7. q. 6. Et quamvis ratione gravis tentatio contra fidem, obliget per se præceptum ad elicendum actum Fidei, ut docent P. Valent. P. Azor. P. Sanch. cit. Lede. tom. 2. sum. tr. 1. cap. 8. conclus. 8. & alii: hoc tamen non extenditur ad scrupulizantes in Fide: tum quia hi in Fide firmi sunt, & scrupulorum anxietas cogit eos existimare se infirmos in fide, ejusve amittendæ periculorum pati: tum etiam, quia scrupulis contra Fidem molestari, non est gravem tentationem contra Fidem pati, sed gravem stultitiam habere, & ægritudine laborare. Unde satis erit si Confessarius ita scrupulizantibus præcipiat, quod pro tunc actu Fidei eliciant; sicque obligatio præcepti admallebitur.

Advertes secundò, hujusmodi scrupulosos ab scrupulis contra Fidem, (sicut & contra alias virtutes,) se defendere actionibus externis, nempe moventes caput, aut manus, os retrouentes, aliosque motus ridiculos efficiendo, quasi dicant: Non consentio, non consentio: qua sanè risus, & miserationis digna sunt. Oportet igitur, ut ab his abstinenti scrupulos contemplant, scientes, quod ipsa attention ad scrupulum vitandum, scrupulum parit, ut ait Caiet. in sum. verb. Scrupulus. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 52. n. 1. & tom. 3. q. 9. Regul. q. 66. art. 3. Unde sicut non miraretur, nec anxi redderentur, si hominem insanum viderent blasphemantem, aut contra Fidem loquentem, ita mirari non debent, si mentem suam scrupulis insanam viderint erga infidelitatem, aut blasphemias ferri.

Advertes tertio, ita scrupulizantes solere etiam maximè turbari, ac nimis affligi, quod tam nefanda sint eis ab spiritu infidelitatis, vel blasphemie objecta, & sint coacti illa omnia Confessario appearire, quod sanè eos maximè pudet. Sed rectius quidem se gerent, si eos pudoret, quod insan redditur propriâ voluntate, & ob id illis videantur non expedire viro sanæ mentis insaniam suam detegere: Unde si quando Confessarius velit illa servare, vel iterum audire, quatenus judicat ad curationem convenire, suadeat, ea non excipere jure confessionis, cum ad confessionem non sint addenda talia deliria, sed jure amici consulentis, quæ deinceps agenda expediant.

## SECTIO VI.

*Deciduntur aliae difficultates circa eandem materiam.*

**D**IFFICULTAS 5. Quid consulendum scrupulos, quos affligit timor, an scilicet confenserint malis suggestionibus, præsertim in materia luxuriaz? Respondeo in primis, hujusmodi scrupulos, ut exuant hunc timorem, uleros esse remedii supra assignatis. Deinde sciunt, quod nemo peccat mortaliter, nisi volendo deliberatè rem graviter malam expressè cognitam sub ratione gravis malitia moralis, id est, offendit Deum; siquidem, ut docet D. Bern. Non nocet sensus, ubi non est consensus. Quod ut melius intelligas.

Advertes

+ vide propositionem 17am ab innoc. 11mo damnatorum

78. Advertes primò cum P. Sanch. lib. 1. sum. cap. 1. à num. 1. qd. ut perfectus consensu sufficiens ad mortale explicetur, & cognoscatur, opus esse supponere, quadrupliciter posse voluntatem se habere in tentationibus peccati mortalis expellendis. Primò, quando in eis expellendis firma est, habet tamen se negligenter; & tunc hæc negligenta est cōmunitat venialis, cum deficit plenus consensus: transibit tamen in mortalem; si afferat probabile periculum consentendi, ut docent Navar. sum. cap. 11. n. 14. Ledenf. 1. part. q. 21. art. 7. conclus. 9. & cum illis P. Sanch. cit. n. 15.

79. Secundò, quando est anceps, an consentiat? Et tunc, quia plenè, & deliberate eligit esse anceps consentiat necne, quatenus rationes hinc inde proposita eum reddunt anticipem, cui parti potius adhæredit? Est culpa mortalis, si tentatio sit de re mortali; ac proinde contra præceptum illud, quo tenebatur ab eo peccato abstinere. Ita Medin. 1. 2. q. 74. art. 6. docum. 5. & P. Sanch. cit. num. 16. Primo, quia in manifestum consentendi periculum se conjicit. Secundò, quia intellectus tenetur in rebus fidei credendis ita firmus esse, ut in illis dubitans, peccet contra fidem; ergo etiam voluntas ita singulis præceptis astringitur ad non desistendum à summo proposito servandi illa, ut cùm ab illo desisterit, ut desistit per ilud dubium, peccet contra illa. Et hinc sit, tunc esse confitendas circumstantias objec-tim, circa cuius electionem dubia est voluntas, cùm hoc peccatum ad eandem speciem pertineat, prout supra diximus.

Tertio, quando nec consentit, nec dissentit, sed negativè se habet, patiens in appetitu sensitivo eos pravos motus. Et tunc, esse culpam mortalem, etiam secluso periculo consensu, affirmant P. Valent. 1. 2. d. 6. quest. 4. punct. 3. vers. Nihilominus, P. Azor. tomo 1. lib. 4. cap. 6. q. 5. Sayr. in clavi lib. 8. cap. 7. num. 3. P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. num. 117. Zamel. 1. 2. q. 74. art. 8. d. 2. P. Vasq. ibid. d. 108. cap. 2. n. 2. & 3. & alii apud illum, qui contraria sententiam dicunt improbabilem, addicte hanc esse veram, etiam in voluntate sit formalis displicientia; siquidem hæc sub aliquo respectu peculiari, potest esse consensu in eam delectationem, aut expressus, si voluntas simul delectetur, aut interpretatus, quia, cùm possit, non reprimit. Et probant, quia voluntas semper tenetur appetitum sensitivum gubernare, maximè quando absque magnâ difficultate potest; sed in præsentis potest, & materia est mortaliter mala; ergo tenetur illum gubernare, ita ut talis omissione sit mortalita.

80. Hoc tamen intelligent, nisi adsit justa causa non cohibendi appetitum illum effrenatum; tunc enim dicunt, non solum absque culpa, sed etiam laudabiliter, posse permettere delectationem illam, non curans illam repellere, semper tamen secluso periculo consensu. Hoc autem accidere potest: Primò, si merito timeat fore, ut ex illo conatu in turpiores delectationes incidat; aut illa fiat vehementior, & molestior. Secundò, quando provenit ex causa necessariâ, vel utili, & cā insistenti, duratique delectatio. Tertiò, si laboret in ea expellenda, & eam permanere videns, ob id nihil amplius in ea expellenda immoratur.

81. Oppositam tamen sententiam afferentem, celsante periculo consensu, non esse culpam, saltem mortalem, permittere delectationem illam, merè negativè se habente, tenent D. Thom. quest. 15. de Verit. art. 4. ad 4. 10. D. Bonaven. in 2. dist. 24. in 2. p. expost. lit. num. 50. & art. 2. q. 2. num. 75. addens, etiam cum periculo consensu non esse certum esse

mortale. Gerſon. 2. part. tract. de delect. moros. Alphab. 30. lit. C. Adrian. 4. quest. 3. de Euchar. Caiet. sum. verb. Delectatio, vers. Magna, Rosel. ibid. n. 2. Ar-mil. num. 2. & verb. Cogitatio. n. 3. ubi Angel. n. 2. Tabien. quest. 6. Sot. in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. conclus. 1. Navar. sum. cap. 11. num. 12. vers. Quartum, Cordub. lib. 1. qq. quest. 23. dub. 10. ad 7. Alloz. sum. cap. 5. conclus. 11. Medin. 1. 2. quest. 74. art. 6. docum. 5. P. Tolos. lib. 5. sum. cap. 14. num. penult. Rödrig. tomo 1. sum. cap. 212. num. 1. & 3. quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 2. num. 13. dicens utramque sententiam esse probabilem, ita tamen ut prior ferè semper sit practice vera: secunda vero metaphysicè probabilior, etiam in voluntate non sit formalis displicientia delectationis; quæ sit efficax ad co-hibendum consensum, & inefficax ad reprimendum appetitum, sed voluntas tantum merè negative se habeat.

82. Et probant, quia licet voluntas teneatur simili-citer gubernare appetitum ne consentiat, ad illum tamen cohibendum resistendo solum tenetur secundum quid; sed illi obligationi satisfacit simpliciter, ita illum gubernando, ut non consentiat; ergo licet in hac posteriori obligatione deficiat, non resistendo, cùm sit obligatio secundum quid, & imperfetta, solum erit veniale ex parvitate materia. Confirmatur, quia licet homo absolute teneatur resistere simpliciter non consentiendo tentationibus; resistere tamen cum magnâ curâ solum tene-etur imperfectè, & secundum quid, ita ut in hoc deficeret, tepide resistendo, solum sit peccatum veniale; ergo similiter. Hæc interim, de hac enim questio-ne suo loco dicemus.

Quarto modo, quo voluntas potest se habere in tentationibus expellendis, aut non expellendis, est, quando consentit sub conditione aliqua, ut si non esset contra legem Dei, hoc facerem. Hunc actum non esse mortaliter peccatum in omnibus, etiam in rebus naturæ prohibitis tradunt Caiet. sum. verb. Cogitatio, & ibi Ar-mil. num. 1. P. Saverb. Peccatum, num. 2. Alloz. sum. cap. 6. Rödrig. tomo 1. sum. cap. 212. num. 2. Sayr. in clavi lib. 8. cap. 7. num. 28. & 29. P. Vasq. 1. 2. q. 74. art. 8. d. 116. cap. 2. num. 4. apud P. Sanch. lib. 1. De-cal. cap. 2. num. 22. quia tamen num. 23. melius di-stinguit, dum afferit cum Adrian. quodlib. 10. art. 2. conclus. 1. & P. Azor. tomo 1. lib. 4. cap. 6. quest. 10. id solum habere locum in iis, quæ solo iure positivo prohibentur, ut Comedere carnes in Quadragesima, nisi Ecclesia id prohibuerit: nō ita vero in iis, quæ jure naturali sunt prohibita, ut occiderem, aut furar, nisi esset peccatum, aut nisi esset prohibitum.

Probatur 1. pars, quia res prioris generis, cùm non sint intrinsecè, & ex natura sua malæ, sed solum quia prohibita, potest ab eis per conditionem adjectam malitia auferri; siquidem conditio non im-plicat contradictionem, & potest quis optare, eas non esse malas, cùm id nihil aliud sit, quam optare, quod Ecclesia illas non prohibuerit; ergo &c.

83. Probatur 2. pars, quia res posterioris generis, cùm sint intrinsecè, & ex natura sua malæ, neque sunt absque sua malitia intelligi, & conditio illam negans involvit contradictionem; ergo eum voluntas desiderio efficaci feratur in substantiâ illius actus, in qua est malitia imbibita, quin ab ea separari possit, fertur in rem mortaliter malam; ergo mortaliter peccabit. Confirmatur primò, quia hoc nihil aliud est, quam velle, ut licet, quæ jure naturæ sunt vetita, sicque rerum naturæ immutentur; sed hoc est in majori malo complacere, quam sunt homicidium, aut fornicatio semel commissa; pejus enim est hæc licere, quam semel committi; ergo &c. Secundò, quia nullus

nullus dubitabit, hunc actum esse mortaliter pec-  
caminosum, Si esset licitum, destruerem Deum; &  
tamen conditio videtur auferre rationem malitia  
ergo &c.

87. Adverte secundò cum eodem P. Sanch. lib. 1.  
decal. cap. 1.n.17. quatuor regulas assignari solere  
ad discernendum considerationem intellectus, &  
consensum voluntatis imperfectum à perfecto. Pri-  
ma est: si quis rei præceptum advertens, se-  
ita dispolitum sentit, ut licet facilè exequi posset,  
non exequetur, signum est, aut nullum, aut im-  
perfectum consensum adfuisse; siquidem cum po-  
tentia executiva voluntati omnino obtemperet,  
dum in ea dispositione est, signum est aut dissensu,  
aut consensu tantum imperfecti.

88. Secunda regula est: quando motus pravus tempore imperceptibili insurgit, & paulo post, cum primum in mentem venit, eum rationi adverbari, statim voluntas curat illum expellere, signum est, aut nullius, aut imperfecti consensus praefliti; si quidem cum homo per discursum intelligat, eget tempore, saltet brevissimo ad deliberandum cum perfecta deliberatione.

- 89.** Tertia regula est : Sola delectationis perseverantia non est signum sufficiens ad probandum perfectum conseruum : sicut perseverantia motuum partium corporis arguit consensum ; siquidem partes corporis, quæ subduntur potentia motiva, plenè voluntatis imperio subjacent : at verò appetitus sensitivus rebellis est. Unde ait Caiet. sum. verb. Delectatio ad finem , & cum eo P. Sanch. cit. plures negligentia post plenam advertentiam habitare possunt excusari à mortali ; maximè in illis , qui ita sunt dispositi , ut potius mori decernant , quam mortale admittere.

50. Quarta regula est: Si quis dubitat, an dormiens, aut vigilans: an sui compos, aut potius ebrietate, vel phrenesi captus, aliquid voluerit, dixerit, aut fecerit, ingens indicum est non plena deliberationis, neque perfecti consensus; siquidem plena vigilia, & plenus usus rationis homines certiores reddunt de suis actibus. Quod è contra accidit, quoties usus rationis somno, ebrietate, phrenesi, aut alioquinvis accidenti partim ligatus, & impeditus est.

- Quando autem aliunde tantum infurgit ratio  
dubitandi circa plenum consensem, plenamque de-  
liberationem, admittenda est quia similia regula  
quam tradunt *Medin.* 1. 2. q. 74. art. 8. fine. & lib.  
2. sum. cap. 7. *Sayr.* lib. 8. in clavi, cap. 7. fine, & cum  
illis *P. Sanch.* lib. 1. decal. cap. 1. n. 20. que talis est  
ut si dubitans sit vir bonis moribus imbutus, bono  
timidaque conscientiae, credendum sit, cum non  
perfecte consensisse: aliter tamen credendum de  
viro pravo, malis moribus imbuto, ac depredita  
conscientiae; siquidem prior cum peccatum mor-  
tale ingenti odio prosequatur, si ipsum admissum  
faciliter discerneret: at vero posterior, cum parvi il-  
lud pendat, si minime consensisset, nullum in eo  
dubium suborireetur.

SECTIO VII.

*Alia difficultates proponuntur, & deciduntur.*

- D**IFFICULTAS 6. Quid consulendum scrupulosis, qui volunt nimis attenti esse officio Divino: & scrupulum habent, an attenderint, vel omiserint aliquem Psalmum, aut Hymnum: aut in Missa consecratio-

nem hostiæ, vel calicis, aut aliqua, vel aliquod illius verbum? Respondeo in primis, debere agere contra tales scrupulos, non reiterando, quod semel factum, aut dictum est, etiam si actuelle attentionem non haberet tempore consecrationis, aut recitationis, cum sufficiat virtualis, nempe ipsa incepit recitandi, aut celebrandi, adjunctâ conditione scrupulos; hoc enim sufficit, ut formeret iudicium oppositum, nempe quod attente egerit, nihil omisit in Missa; neque in officio Divino; neque ipsum officium totum. si de tote officio omisso sit scrupulus.

Secundò, quando fuit aliqua modica negligētia venialis, aut parva distractio non voluntaria (de voluntaria enim infrā,) melius esse sine reiteratione dolere de ipsa negligentia, & distractione, considerando Dei Misericordiam, quām ex nimia reiteratione non necessaria novis scrupulis agitari; siquidem ex tali reiteratione non quietatur, imo magis inquieta manet conscientia, & attentio. Quod etiam est verum in reiteratione verborum consecrationis; sufficit enim sī ita sint prolatā, ut maneat eadem verborum significatio, licet non fuerit exacta pronuntiatio litteræ *m*, vel *n*, ut communiter docent Doctores in materia de Eucharistia.

Addo cum Caet. 2.2. q. 83. art. 17. & Rodriguez, tom. 3. qq. Regul. q. 66. art. 3. s<sup>p</sup> fieri, ut scrupulosi mente occupent ad hoc, ut velint esse inten<sup>t</sup>i, & attenti, quod sanè potius est imperfectio, quām perfectio, cūm potius sit habere evagationem, quām attentionem; siquidem potius habent attentionem ipsam pro objecto suæ intentionis, quām dirigant attentionem suam ad Deum ipsum, & ad verba distincte, & reverenter dicenda, & pronuntianda; cūm tamen attentio ad verba distincte, & reverenter dicenda, & ad ipsum Deum in consecratione, debeat esse maxima, non quidem intensive, & per abstractionem à sensibus, sed objective, & quoad conatum, infra latitudinem tamen attentionis ad ipsa verba dicenda, & pronuntianda, ut decet.

Tertio, si scrupulus fuerit, an recitaverit sine  
attentione saltem virtuali: aut cum voluntaria di-  
stractione; (idemque sita celebraveris, vel Missam  
audieris;) sufficit, ut diximus, incepito recitandi,  
celebrandi, vel Missam audiendi, adjuncta condi-  
tione ipsius scrupulosis, ut formeri iudicium, quod  
habuerit attentionem saltem virtualem; sicque non  
teneri iterum recitare, aut Missam audire. Imo  
idem dicendum, si cum distractione voluntaria  
Missam audiret, aut Horas Canonicas recitaret;  
impleret enim praeceptum absque peccato mortali;  
& obligatione restituendi, si beneficium haberet, ut  
docent Durand. in 4. dist. 15. q. 11. Sylvest. verb. Hora  
n. 13. Medin. C. de Orat. q. 14. Angel. verb. Hora n.  
17. Rosel. ibid. n. 13. D. Antonin. 3. p. tit. 13. cap. 4.  
§. 8. Palud. in 4. dist. 15. q. 5. art. 2. concil. 4. Valer.  
Victorel. P. Egid. de Sacram. p. 1. q. 8. 2. art. 6. num.  
291. P. Less. lib. 2. de iust. cap. 37. dub. 2. num. 63. P.  
Henrig. lib. 9. cap. 25. n. 3. litt. P. P. Laym. lib. 4.  
tract. 1. cap. 5. n. 10. quos citat, & sequitur Diam. p.  
1. 11. 12. Ref. 2. Et ratio est, quia nemo potest pra-  
cipere, & vetare, quod non potest punire; neque po-  
test punire, quod non potest cognoscere, & judicare;  
sed Ecclesia extra confessionem non potest cognol-  
cere, & judicare actus internos; ergo neque punire;  
consequenterque neque praecipere, & vetare;

Oppositum tenent Sot. Caier. Navar. Villarr. y  
Lopez. Maldor. Vega. Viguer. Ledesm. Zerol. Lorca.  
Sylvius. Gavant. P. Sa. Ver. Flora n. 19. P. Vasp. 2.  
2. tom. 2. de 160. n. 30. C<sup>o</sup> 31. P. Comitol. lib. 1. Ref.  
Moral. q. 63. P. Valent. tom. 3. d. 6. que se puncio. P. Azor.